



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Ciuitatis cœlestis duodecim fundamenta explicantur. Sectio. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

currunt, omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium: Sequitur: Et longitudo, & altitudo, & latitudo eius aequalia sunt. Rupertus ob imperitiam linguae Graecae putauit hoc ad murum ipsum esse referendum: tum verò mirum in modum se torquet, quomodo in murum id possit conuenire, Igitur non ad murum, sed ad ciuitatem ipsam pertinet, cum Graecè habetur *ὡς τῆς*, repetiturque hoc loco omnium eius laterum aequalitas.

Sextò, Mensura est murum eius: centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quae est Angelus. Intellige dimensum fuisse murum quoad altitudinem: significaturque in muro ambiente ciuitatem protectio Diuina, quae gloriam Beatorum in omnem aeternitatem tuebitur. Et quoniam ea protectio hmissima est, idcirco tanta est muri altitudo. Ipse etiam numerus, vt ait Arethas, perfectione includit: etenim centum quadraginta quatuor ex duodecim in se ductis conueniunt. Quod subiungitur: Mensura hominis, quae est Angelus: Haymo ita existimat accipiendum, significari nimirum eum Angelum, qui Ioanni cum mensura apparuit, habuisse speciem hominis. Itaque licet homo videretur, Angelum fuisse. Duæ sunt communiores expositiones. Vna est, significari eadem mensuram metiendam esse tam Angeli, quam hominis beatitudinem, hoc est, tam Angelo, quam homini iuxta magnitudinem gratiae, & charitatis gloriae conferri. Altera, homines ad mensuram gloriae Angelorum peruenire: liquidem succedunt in locum eorum, qui ceciderunt. Haymo illam quoque affert, tot homines gloriam consecutos, quot Angeli corruerunt, atque adeo eandem esse Angeli, & hominis quoad numerum mensuram. Septimò, Ipsa ciuitas dicitur, *Aurum mundum simile vitro mundo*. Per aurum, inquit Haymo, claritas, per vitrum puritas exprimitur: idcirco per vitrum declaratur puritas cordis omnium Beatorum, quae inuicè in caelesti ciuitate omnibus manifestabitur. Quicquid enim cogitatum fuerit ab vno, vt plurimum videbitur ab altero, vt inuicem sibi sint Beati quasi quaedam specula vitrea lucidissima. Possumus etiam per aurum charitatem, qua omnes Beati fulgebunt, per vitrum puritatem accipere: nihil enim immudum, & coinquinatum in eam ciuitatem ingreditur, vt postea docet Ioannes. Quamquam & in auro illius ciuitatis & pulchritudo, & nobilitas, splendorque intelligitur.

Ciuitatis caelestis duodecim fundamenta explicantur.

SECTIO. III.

Commemorat Ioannes duodecim fundamenta, id est, duodecim lapides fundametales muri ciuitatis caelestis, docetque esse duodecim lapides pretiosissimos, qui duodecim Apostolos significat, vt in superioribus diximus. Arethas, And. Cas. & Abbas Ioach. singulos lapides singulis Apostolis tribuit. Sed cum Arethas, & Andreas secundum lapidem ad Paulum Apostolum referat: accommodatio videtur Ioachimi expositio, qui primum lapidem iaspidem tribuit Petro, saphirum Andreae, calcedoniam Iacobo maiori fratri Ioannis Euangelistae, smaragdum nostro Ioanni, sardonychem Philippo, sardium Bartholomaeo, chrysolitum Matthaeo, beryllum Thomae, topazium Iacobo minori fratri Domini, chrysoptera Iudae fratri praedicti Iacobi, hyacinthum Simoni, amethystum Matthiae. Iuxta quam expositionem ea, quae de singulorum lapidum natura dicemus, optime quadrant in eum Apostolum, de quo sermo habendus erit. Verum cum Apostoli non eodem semper ordine in Euangelio numerentur Matt. 10. Mar. 13. Luc. 6. non est, cur in accommodandis singulis lapidibus singulis Apostolis iuxta ordinem ab Euangelistis seruatum laboremus, vt videlicet primum lapidem primo Apostolo,

Rupert.  
Murus protectio Diuina firmissima.  
Arethas.  
Haymo.  
Hominis, & Angelus mensuram eadem esse quid.  
Per aurum, & vitrum quid.  
Haymo.  
Beati inuicè specula lucidissima.  
And. Cas.  
Arethas.  
Ioachim.  
Singulis Apostolis singulis lapides fundamentales accommodantur.  
Qui tenendus sit ordo in hac accommodatione.





secundum secundo, & sic de cæteris, respondere existimemus, quemadmodum hoc loco facit quidam ex recentioribus: cum illud sit multò certius quemlibet lapidem cuiuslibet Apostolo conuenire, vt ex sequentibus planè fiet. Nam vt singuli lapides singulis Apostolis ordine suo tribuerentur, vel seruandus esset ordo vocationis Apostolorum, vel temporis, quo ad prædicandum missi sunt: tunc enim fundamenta Ecclesiæ esse cæperunt, vel denique meritorum. At vocationis ordo non potest certò ex Euangelio in omnibus Apostolis demonstrari: ordo prædicandi etiam non habetur, cum simul omnes à Christo ad prædicandum missi fuerint: multò etiam difficilius est ordinem meritorum intelligere: cum is soli Deo sit exploratus. Quare illud præstandum superest, vt singulos lapides in quemlibet Apostolum conuenire ostendamus.

## II.

Fundamentum primum iaspis.

*Fundamentum primum iaspis.* Iaspidis multa genera commemorantur: alius enim colore viridis est, & tinctura floracea subluces: alius smaragdi habet similitudinem, sed crassiore specie, quo omnia phantasmata fugari æstimat. Est & niuis colore mista quasi spuma marinorum fluctuum obradias. In iaspide omnes interpretes Petrū accipiunt propter stabilem in fide, & eius cōfessione cōstantiam post Spiritus sancti aduentū. Sed potest quilibet Apostolus designari propter firmitatem fidei, qua omnia terrorū phantasmata fugabāt, & propter spei, ac fiduciam in Deo viriditate. Quæ deinceps de lapidibus pretiosis dicemus, ea ex Plinio, D. Isidoro l. 16. Etym. Beda in Collectaneis, & aliis scriptoribus decerpimus. *Secundū fundamentū sapphirus.* Hic medicam putatur habere virtutē, inutilis sculpturæ, interuenientibus crystallinis centris viret, & subinde transluces aureis quibusdam punctulis collucens. Quilibet Apostolus medicam virtutē habuit curandi & corporis, & animi ægritudines: non sinebat se sculpi humanis honoribus, minisve, aut promissionibus, quo minus in uictam in fide, & amore Christi cōstantiam retineret: virebat centris crystallinis, hoc est, purissimis moribus: & translucebat, quoniam lucē veritatis à Christo emissam in alios trans mittebat. Quod ad literam significauit Paulus 2. ad Corinth. 3. cum ait: *Nos verò omnes reuelatā facie gloriā Domini speculantes in eandem imaginē transformamur à claritate in claritatem tanquā à Domini spiritu.* Quo loco illud, *speculantes*, non ab specula sed ab speculo deducitur: est enim Græcè *κατοπτρῶν ὁμοιωσις*. Et est sensus apostolos imaginē vultus Christi, non velatam, vt Hebræi faciē Moysis velamine occultatam sed reuelatam quasi quædam specula lucidissima suscepisse, eandemque in alios per mysteriorū fidei prædicationē transmississe: sicut speculum solet imaginem rei obiectæ recipere, & reddere. Hoc fundamentum sapphirinum secundum Ioachimū est Andreas.

Secundum fundamentum sapphirus.

2. Cor. 3. 28.

Sicut enim sapphirus similis est sereno cælo, & radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem: ita Andreas amore cælestis patriæ nuntium seculo remisit, secutus Ioannem Baptistam, & paulò post manens cum Christo duobus diebus, eiusque, qui verus est sol, radiis percussus in Christi amorē mirabiliter exarsit.

## III.

Tertium fundamentum calcædonius.

*Tertium fundamentum calcædonius.* Hic lapis quasi ignis splendet, similis pallenti lucernæ, eique sub dio, siue aperto cælo color accedit, non autem sub tecto. Si vel radiis solis, vel digitorū tactu incandescat, paleas ad se attrahit. Quilibet Apostolus lucerna erat ardēs in mūdo, neque calcædonij colorē referebat sub tecto, hoc est, inter priuatos parietes otiosam vitam agēs, sed sub dio inter ipsas nimirū persecutiones, & in medio foro fidem prædicans: vbi verò radiis solis, i. Christi splendoribus fulgebat, vel Tyrannorum manibus premebatur, tunc verò multò magis ad se omnes attrahebat. Hoc fundamentū Ioachimō est Iacob⁹ maior. Nā lapis inquit, iste similis est pallenti lucernæ, fulgētq; magis sub dio, quàm sub tecto; vnde

Ioachim.



vnde significat ardorem humilem charitatis, qui aliquādo quidem intus manet occultus, sed tandem per opera producit in lucem. Possimus autē hanc virtutem ascribere Iacobo fratri Ioannis, qui vt ostēderet, quanta charitas in suo peccatore lateret, primus inter omnes Apostolos sustinuit passionē. *Quartum smaragdus smaragdus.* Et viridantium gemmarum præstātissima: res, quibus admouetur, suo ipsius colore imbuit, aëremque circumfusum viridem reddit. Quisq; Apostolorū viriditate virtutum floruit, & eam reliquis impertiebatur, ipēmque beatitudinis ingerabat iis, qui ipsius cōsuetudine utebātur. Hoc enim est viriditatem, quæ spei symbolū est, circumfusis rebus cōmunicare. Ioachimus fundamentū hoc vult esse nostrum Ioannē. Quoniam, inquit, smaragdus colorem refert purissimi olei, atque adeo significat perfectā fidem, quæ per charitatē operatur, quæ virtus maximē in Ioanne respicitur, qui fuit spiritali charitatis oleo repletus: vnde & in olei dolium dicitur missus, vt quasi quidam smaragdus oleo proficere videretur.

*Quintum sardonix.* Gemma est instar vnguis humani, aut certē colorem vnguis humani, cum carni hæret, referēs, vnde & nomen sumpsit: *ὄνυξ* enim Græcè vnguem significat. Et quoniam sardij, & onychis naturam participat, ex sardio scilicet ruborem, ex onyche candorē trahens, inde est, quod cōposito ex vtraque gemma nomine sardonix appellatur. Pretiosiores sunt, qui tribus coloribus variantur, primo nigro, medio candido, superno rubro. Omnes enim Apostoli nigrum colorem propter labores, candidū propter puritatem, rubrū propter martyriū habuerunt. Ob eam colorum varietatem existimat Ioachimus in sardonixe Philippū fuisse adumbratum. *Sextum sardius.* Translucet: sic Apostoli exēplo. Coloris est sanguinei: atque adeo martyriū designat Apostolorū. Feris terrorem incutit: sic Apostoli dæmonibus erant formidabiles. Bartholomæum ex Ioachimi sententia designat. *Septimum chrysolithus.* Auri speciem præfert ardētēs, scintillas diffundit, nocturnos pellit timores. Habet simul cū auri colore quandam marini coloris similitudinē, quā ob causam dicitur Hebraicè Tharsis, quod nomen mare significat, quemadmodū docet D. Hier. in Comment. super Dan. super illa verba cap. 10. *Et corpus eius quasi chrysolithus:* & super illud Esai. 2. *super oēs manes Tharsis.* Meritō chrysolithus quilibet Apostolus appellatur, quoniam auro charitatis rutilat, ardentes diuini amoris scintillas ex se in omnes immittit, Dæmonūque timores fugat. Mattheo Ioachimus tribuit. *Octauū beryllus.* Quasi aquā consideres solis fulgore, percussam, rubicundum ac decorum calorē reddit: sed nō fulget nisi in sexangulā formam poliēdo figuretur. Repercussione enim angulorū splendor acuitur, tenētisque manū adurere dicitur. Tradunt Beryllo duos inesse colores, vnum viridē, pallentem alterum. Quilibet Apostolorum propter mentis puritatē quasi aqua clarissima cælestis gratiæ radium suscipit, pulcherrimūque efficitur. Repercussione angulorū magis splendescit: quia, quod magis Apostoli laboribus premebantur, quasi fractis in lapide angulis, repercussio que lumine magis radiabant. In sexangulā formā figurabatur: quia in hoc mūdo, qui sex diebus à Deo fuit perfectus, Tyrānis persequentibus, & quasi eos figuratibus pulcherrimi, fulgētissimique euadebant. Tenentiū manus adurebāt: quia eos, cū quibus cōuersabantur, diuini amoris facibus inflābant. Præferēbant colorem duplicē: quia dū cęlestia contēplabantur, virides efficiebātur expectatione proximij. Cum verō ad proximos se se per actionē cōuertebant, ipso labore, eorumque assidua exercitatione pallorē quodāmodo accipiebant. Iuxta Ioachimū Thomā adumbrat. Sui adde & illud nasci Beryllum in India, vt ait D. Ilidor. Ita enim Thomas Eūāgelium in India prædicauit, ibiq; corpus eius visitur, *Nōnū topazius.*

III. *Quintum sardonix.*

*Sextum sardius. Septimum chrysolithus.*

D. Hieron. Dan. 10. 6. Esai. 2. 16. Octauum beryllus.

D. Ilidor. Nōnū topazius.



Quantò inuentu rarior, tantò pretiosior: quoniam perfectio Apostolica rarissima fuit, atque adeo pretiosissima. Duos refert colores, vnum autè purissimi, alterum aetherea claritate relucentem, hoc est, aurum charitatis in proximos, & ardentem in Deum amorem. Flammescit impèsius, quoties solis radiis verberatur: quoniam Apostoli, cum Christi gratia tanquam radio micabāt, tunc magis ad proximorum salutem incendebantur. Topazium cum polis, obscuras: quoniam Apostolos, cum laudibus nostris polimus, potius obscuramus, quam illustramus ob excellentem eorum, nostrāque omni commendatione maiorem magnitudinem. Iacobum fratrem Domini ex Ioachimi interpretatione exprimit.

*Decimum chrysoprasus.* Viridis est gemma, colore porri, succum referens, in aurū declinans aurēis interuenientibus guttis. Viriditas, hoc est, spes Apostolorum ad maiorem charitatem eorū animos incitabat. Aurea gutta aureas charitatis actiones, significant, quibus Apostoli spei suæ viriditate variabāt. Vult Ioachimus hanc gemmam Iudam fratrem Iacobi minoris adūbrare. *Vndecimum hyacinthus.* Violaceo colore hyacinthum florem representat: cælestem colorem refert, vt sapphirus: mutat cum facie calī colorem, sereno enim, & illustri perspicuus est, turpido, & obducto nubibus obscurus. Cælestem planè colorem referunt Apostoli cælestibus moribus. Mutabant cum facie calī colorem: quia ad imperiū Dei optimi, & maximi sese in omnibus accommodabant. Præterea sereno Ecclesiæ cælo charitatem in alios exercebant: nubilo autem, & persecutionibus turbato constantiam, & fortitudinem præferabant. Simonē secundum Ioachimum notat. *Duodecimum amethystus.* Violacei coloris est, fulgentius emicās hyacintho, sculptura facilis. Inter purpureas gemmas principatum amethystus Indicus tenet: purpureus est permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitore, leniterque flammulas fundens. Tradunt illum triformi colore radiare, roseo, violaceo, & purpureo. Sane sculptura faciles erant Apostoli: quia in laboribus patientes, gemæ purpureæ propter martyrium, rosæ habentes nitorem propter gratiā, quam sibi apud omnes conciliabant. Est enim rosæ gratiæ symbolū. Deniq̄. suauissimas amoris flammulas ex se late fundebant. Matthiām Ioachimo significat.

De portis, plateis, templo, sole, & commercio cælestis ciuitatis.

SECTIO II.

*Locus distinctus.* **E**Xplicatis cælestis illius ciuitatis fundamentis, persequitur reliqua Ioannes. Primum igitur docet duodecim portas duodecim margaritas esse per singulas: quod duobus modis potest intelligi. Vno, vt sit sensus singulas portas esse ex singulis margaritis, quod illis verbis disertè dicitur: *Et singula portæ erant ex singulis margaritis.* Alterò, vt in singulis portis essent singulæ margaritæ, quod verbis propositis videtur indicari, cum dicitur. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas.* Quam ob causam Ansbert. vt vtrumque testimonium conciliet, docet singulas portas factas fuisse ex singulis margaritis: & præterea vnamquāque portam habere insuper duodecim margaritas sibi quodammodo affixas, atque adeo fuisse omnes margaritas portarum centum quadraginta quatuor. Quod si addantur aliæ duodecim, ex quibus singulæ portæ confectæ erant, numerari cētum quadraginta sex margaritas: quam sententiam sequitur Ribera. Verū multò probabilius videtur id, quod aiunt Beda, Tycon. Primas. Arethas, & alij illud duntaxat significari singulas portas confectas fuisse ex singulis margaritis. Quod verò dicitur: *Duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas* non

*Ansbertus.  
Ribera.  
Beda.  
Tycon.  
Primas.  
Areth.  
Singule portæ erant ex singulis margaritis.*